Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 47
Quelle:
Copyright:

monium I. *Joh.* c. 5. a prima manu ita legitur: *Quia tres sunt, qui teſtimonium dant in celo pater verbum et ſpiritus ſanctus. Et hij tres vnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra ſpiritus aqua et ſanguis.* Ad calcem accedit nota illa Vocabulorum hebr. Interpretatio.

Pag. *ult.* haec notata ſunt: *Hanc bibliam integram. Calicem argenteum vna deauratum valoris XV. lbr. Item ornatum rubeum precioſiſſimum valoris XIII. lbr. denar. Item libros ſermonum* (extritum) *taxatos pro XII. lbr. denar. Haec omnia obtulit Frater Benedictus de piburg quondam plebanus in Schinij nec non Capellanus et prouiſor domus plurimum Reuerendi in chriſto patris et domini Domini friderici Epiſcopi eccleſie Seccouien. pie memorie pro monaſterio lunelacenſi Sancti Michaelis Taliter quod pro bijs ſuperſcriptis rebus perpetuis temporibus peragatur anniuerſarium.* Plura deinceps eraſa ſunt, et ſequitur: *Item hanc ordinacionem fecit et ordinauit ſuperdictus Frater Benedictus tempore nouiciatus ſui quando potuit libere exire uel permanere, ordinare ac diſponere de rebus ſuis ad placitum ſuum. Anno domini M°. CCCC°. Quinquageſimo tercio. Fridericum III.* a. 1446. Epiſcopatu *Seccovienſi* potitum video in *Diplomatariis ſacris Ducat. Styriae* P. I. p. 291. eumque jam a. 1453. ſucceſſorem habuiſſe *Georgium.* Videtur igitur obiviſſe a. 1452. jam enim *Benedictus* noſter ad calcem *Pſalterii Bibliorum* ſuorum ſupra adnotavit: ſe in Feſto *Purificationis Marie*, ergo 2. *Febr.* 1453. hoſpitem fuiſſe in *Lunaelacu*, tirocinium videlicet ingreſſurum. Non poenitendum fuiſſe Coenobio hunc Tironem docet *Chronicon Lunael.* a p. 244—76. Abbas enim ab a. 1463. ad a. 1499. multa praeclare geſſit, et, cum in die D. *Benedicti* natus, Sacerdos factus, Abbas electus fuiſſet, eundem etiam diem ultimum vitae habuit. Referam ſimile de *Franc. Dolfino* S. J. viro non incelebri, qui memoria mea identidem dicere ſolebat: *Auguſtus mihi ſemper auguſtus*; ajebat enim hoc ſe menſe natum, Societatem ingreſſum, Sacris initiatum, regimini Sociorum admotum, etiam moriturum eſſe. Et liberavit fidem.

XXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 409. f. per duas columnas bene exaratus, ornatus lemniſcis florulentis picturatis, non tamen per totum abſolutis et ab a. 1660. Collegii S. J. *Viennae* complectitur *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis cum Prologis *Hieronymi* et aliis ſolitis Argumentis, ad quae ſequentia noto: *Gen. III.* 15. legitur: *Ipſa conteret* &c. *Esdrae*, ubi ornamenta deficere incipiunt, Liber II. inſcribitur *Nehemiae*, et poſt ſe habet *Tertium*, qui *Secundus* dicitur. Pſalterium definit in *Pſalmo* CXLVII. quem continuo *Symbolum* tributum *Athanaſio* excipit, R. 910

ad